

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia XXXV. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.125rb-128va)

Ne estimetis quoniam ueni mittere pacem in terram, non ueni mittere pacem, sed gladium.

Commented [ND1]: [fol.125rb]

Rursus quae honerosiora sunt ponit, et cum multa superhabundantia, et quod econtra erant illaturi, hoc dicit. Vt enim ne haec audientes dicant, propter hoc itaque aduenisti, ut nos interficias, et eos qui a nobis persuadentur, et prelio terram impleas, primum ipse ait. Non ueni mittere pacem in terram. Qualiter igitur eis iniunxit, in unamquamque domum ingredientibus pacem indicere? qualiter autem et angeli dixerunt gloria in excelsis deo, et in terra pax, qualiter autem et prophetae omnes hoc euangelizabant? Quoniam hoc maxime est pax, cum id quod egrotat inciditur, cum id quod litem infert, separatur. Ita enim possibile est caelum terrae copulari, quia et medicus ita reliquum conseruat corpus, cum quod insanabiliter se habet, absciderit, et dux cum eos qui male concordant instantiam duxerit, ita et inturri illa gestum est. Malam enim pacem bona dissonantia soluit, et fecit pacem, ita et paulus eos qui aduersus ipsum consonabant, dissuit. In nabuthe autem prelio tunc omni consonantia illa difficilior facta est. Non enim ubique concordia bonum est, quoniam et latrones consonant. Non itaque suae propositionis hoc est sed illorum consilii, est hoc prelium. Ipse enim uolebat omnes concordare in sermonem pietatis, quia autem illi litigabant, prelium fit. Sed ait, non dixit ita, sed quid non ueni mittere pacem, illos mitigans. Ne enim estimetis ait, quoniam uos causa estis horum. Ego sum qui haec construo, quia ita dispositi sunt. Ne igitur tumultum patiamini, quasi preter expectationem his contingentibus. Propter hoc ueni ut prelium immittam. Haec enim mea est uoluntas. Ne itaque tumultum patiamini, prelia ceu insidias patiente terra. Cum enim abscisum fuerit quod est deterius, tunc iam ei quod est melius copulatur caelum. Haec autem dicit ad pernitiosam suspicionem multorum eos erigens, et non dixit prelium, sed quod hoc est difficilium id est gladium. Si autem difficilium dicta sunt haec, et male uidentur enuntiata, ne mireris. Volens enim eorum exercitari asperitate uerborum auditum, ut non in difficultate rerum discedant, ita et sermonem figurauit, ut non aliquis dicat quoniam blandiens eis suasit, et difficilia occultans, et quae aliter debebant dici, tristius et honerosius interpretatus est. Melius enim est in rebus mansuetudinem uidere, quam in uerbis. Propter hoc neque in his suffecit, sed expandens id prelii speciem ostendit, et hoc cognato multo difficilium existens, et ait. Veni separare hominem aduersus patrem eius, et filiam aduersus matrem eius, et sponsam aduersus socrum eius. Non enim amici ait, neque ciues solum, sed et cognati ad inuicem stabunt, et natura aduersus seipsam scindetur. Veni enim ait separare hominem aduersus patrem eius, et filiam aduersus matrem eius, et sponsam aduersus socrum eius. Neque enim simpliciter in familiaribus erit prelium, sed in amantissimis et ualde necessariis, quod maxime eius uirtutem ostendit, quoniam haec audientes, et ipsi susceperunt, et alii suaserunt, quamuis non ipse haec faciebat, sed illorum pernitias, sed tamen ipse haec dicit facere. Talis enim est scripturae consuetudo. Dedit enim eis deus oculos, ut non uideant, et hic ita ait, ut quod dixi meditantibus in sermonibus his non tumultum patiantur, exprobrati, et iniuriam passi. Si autem quidam honerosa haec estimant esse, rememorentur ueteris hystoriae. Etenim in superioribus temporibus hoc contigit, quod maxime ostendit uetus testamentum nouo cognatum, et eum qui haec dicit, eum esse qui et illa iniunxit. Etenim et inuideris quando unusquisque proximum interficiebat, tunc eis iram dimisit, et quando uitulum

Commented [ND2]: discipuli add. super lin.

Commented [ND3]: [fol.125va]

Commented [ND4]: in distantiam uel diuisionem add. super lin. illeg.

Commented [ND5]: tempore add. super lin.

Commented [ND6]: uel mentis add. super lin.

Commented [ND7]: me add. super lin.

Commented [ND8]: isto add. super lin.

Commented [ND9]: [fol.125vb]

Commented [ND10]: id ciuili prelio add. super lin.

fecerunt, et quando beulfegor immolauerunt. Vbi igitur sunt qui dicunt, quoniam pernitiosus ille est deus, hic autem bonus? Ecce enim cognatis sanguinibus orbem terrarum impleuit. Sed tamen multae et hoc philanthropiae, id est amoris hominum, opus esse annus. Propter hoc utique monstrans eum existentem illum cui et illa placuerint, et prophetiae meminit, **etsi** non ad hoc dictae, sed tamen idem ostendentis. Quae autem est haec? inimici hominis familiares eius. Etenim et inuideris tale aliquid contigit. Erant enim prophetae, et pseudoprophetae, et plebs scindebatur, et domus diuidebantur. Et hii quidem his credebant, alii autem illis. Propter hoc admonet propheta dicens. Ne credatis in amicis, neque speretis in precessoribus, sed et a coniuge tua te custodi, ut committas ei aliquid, et inimici hominis sunt, qui in domo eius sunt. Haec autem dixit eum qui erat suscepturus sermonem, omnibus superiorem esse preparans. Non enim mori est malum, sed male mori. Propter hoc dixit. Ignem ueni mittere in terram, hoc enim dixit uehementiam ostendens amoris quem expetit. Quia enim ipse nos ualde dilexit, ita et diligi uult a nobis. Haec autem uerba et eos erigebant, et excelsiores faciebant. Si enim illi erant ait uxores, et filios, et genitores contempturi, excogita uos doctores quales esse oportet. Neque enim usque ad uos, difficilia stabunt, sed et ad alios pertransibunt. Quia enim magna bona ueni ferens, magnam expeto et oboedientiam et affectionem. Qui diligit patrem aut matrem super me, non est me dignus, et qui diligit filium aut filiam super me, non est me dignus, et qui non accipit crucem suam, et sequitur post me, non est me dignus. Vides dignitatem doctoris, uides qualiter monstrat seipsum proprium eius qui genuit filium? omnia iubens dimittere inferius, et amorem eius **prehonorare?** et quid dico ait amicos et cognatos, etsi animam tuiipsius proposueris meo amori, alonge a meis stas discipulis. Quid igitur non contraria haec sunt ueteri testamento? absit, sed et ualde consonantia. Etenim illic eos qui idola colebant, non odio habere solum, sed et lapidare iubet, sed et in deuteronomio hos ammirans ait, qui dicit patri et matri, non uidi te, et fratres suos non cognouit, custodiuit eloquia tua. Si autem paulus multa de genitoribus iniungit, **per** omnia eis oboedire iubens, ne mireris. In illis enim solum ait oboedire, quaecumque non nocent pietati. Etenim sanctum est, alium uniuersum eis reddere honorem. Cum autem amplius **debito** expetierint, non oportet persuaderi. Propter hoc lucas ait. Siquis uenit post me, et non odio habet patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Non simpliciter odio habere iubens, quoniam hoc et ualde iniquum est. Sed cum uoluerit plus me diligi, odio habe eum secundum hoc. Hoc enim et ipsum qui diligitur, et eum qui diligit **perdit**. Haec autem dicebat, et filios fortiores operans, et patres prohibuituros, mansuetiores faciens. Videntes enim quoniam tantam ualitudinem et uirtutem habet, ut scindat ab ipsis filios, quasi impossibilia temptantes et dimissuri erant. Ideoque **hos** dimittens ad illos facit sermonem, hos erudiens non temptare, **ceu** impossibilia temptantes. Deinde ut non moleste ferant illi, neque tristentur, uide ubi adducit sermonem. Dicens enim qui non odio habet patrem et matrem, induxit et suiipsius animam. Quid enim ait, michi dicis eos qui genuerunt, et fratres, et sorores, et uxorem, anima nichil familiarius est alicui. Sed tamen si non et hanc odio habueris, contraria diligentis substitues omnia, et neque simpliciter eam per omnia odio habere iussit, sed ut et in prelium et bellum eam tradat, et in occisionis et sanguines. Qui enim non portat crucem suam et uenit post me ait, non potest meus discipulus esse. Neque enim simpliciter dixit, quoniam ad mortem oportet **paratum** esse, sed quoniam et ad mortem uiolentam, et non ad uiolentam solum, sed et ad exprobrabilissimam, et nichil nondum de propria disputat passione, ut interim in his eruditi, sermonem de illo suscipiant. Numquid non dignum est ammirari? qualiter audientibus illis non euolauit a corpore anima? Qualiter igitur non euolauit? multa et **dicentis** erat uirtus, et audientium dilectio. Ideo multo honerosiora et difficiliora, magnis illis uiris audientes qui circa moysen et hieremiam mansissent persuasi, et nichil contradicentes. Qui inuenit animam

Commented [ND11]: [fol.126ra]

Commented [ND12]: preponere add. super lin.

Commented [ND13]: [fol.126rb]

Commented [ND14]: honore add. super lin.

Commented [ND15]: uel perire facit add. super lin.

Commented [ND16]: patres add. super lin.

Commented [ND17]: ceu add. super lin.

Commented [ND18]: armatum add. super lin. *illeg.*

Commented [ND19]: [fol.126va]

suam ait, perdet eam, et qui perdidit animam suam gratia mei, inueniet eam. Vides quanta est eorum qui ultra quam oportet diligere iactura, quanta eorum qui odio habent utilitas? Quia enim precepta honorosa erant ad genitores, et filios, et naturam, et cognationem, et orbem terrarum, et ad ipsam animam, iubentis eos parari, ponit et utilitatem maximam existentem. Non enim utique solum non nocent ait haec, sed et maxime proderunt, contraria autem nocebunt, quod ubique facit, ab his quae concupiscunt, ab his inducens. Propter quid enim non uis contempnere tuam animam? quia diligis eam? Quocirca propter hoc contempne, et tunc ei maxime proderis, et quae sunt diligentis demonstrabis. Et intuere prudentiam ineffabilem. Non enim in genitoribus solum exercitat sermonem hunc, neque in filiis, sed in anima, quae omnibus est familiarior, ut illud hinc indubitabile efficiatur, et discant quoniam et illis maxime proderunt, cum et in anima quae magis omnibus est necessaria, hoc contingat. Sufficientia igitur erant, et hec suadere eis suscipere qui ipsos erant hospitaturi. Qui enim meus qui ita erant fortes, et nobiles, et sicut leones orbem terrarum circuibant, et omnes contempnebant qui erant secundum seipsos ut alii saluentur, non utique susciperet omni desiderio? Sed tamen et aliam mercedem ponit, monstrans quoniam hospitantium curam habet magis in hoc quam hospitio susceptorum, et dat quidem primum eis honorem dicens, qui suscipit uos, me suscipit, et qui me suscipit, suscipit eum qui misit me. Cui quid fiet umquam equale id est patrem et filium suscipere. Promittit autem post hoc et aliam retributionem. Qui suscipit enim ait, prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet. Et qui suscipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et superius quidem penam minatur, his qui non suscipiunt, hic autem et retributionem bonorum determinat, et ut discas quoniam eorum curam habet magis, non simpliciter dixit, qui suscipit prophetam, uel qui suscipit iustum. Sed induxit in nomine prophetae, et in nomine iusti, hoc est si non propter uitae huius preminentiam, neque propter aliud aliquid temporalium suscepit, sed quia uel propheta est uel iustus, mercedem prophetae et mercedem iusti accipiet, qualem decens est prophetam, uel iustum suscipientem accipere, uel qualem ille est accepturus. Quod et paulus dixit, uestra superhabundantia in illorum deficientia, ut et illorum superhabundantia fiat in uestra deficientia. Deinde ut non aliquis inopiam causetur, ait, uel si quis potum dederit uni paruorum horum calicem frigidae aquae solum in nomine discipuli, amen dico uobis, nequaquam perdet mercedem suam, etsi calicem frigidae dederis, ubi nichil est consumere, et huius recondetur tibi merces. Propter uos enim omnia facio qui suscipitis. Vides per quanta suasit, et domos eis aperuit uniuersi orbis terrarum? Etenim ostendit per omnia debito res eorum existentes, primo dicens, dignus est operarius cibo suo, secundo nichil habentes emitti, tercio in prelia et pugnas pro suscipientibus trade. Quartum, et signa eis committe. Quintum pacem quae omnium bonorum est causa, per os eorum in domos suscipientium introducere. Sextum, difficiliora sodomis, minari his qui non suscipiunt eos. Septimum, monstrare, et ipsum et patrem suscipientes eos, qui suscipiunt istos. Octauum, et prophete et iusti mercedem promissam esse. Nonum, et calicis frigidae magnas promittere retributiones. Horum autem singulum, et secundum seipsum, sufficiens erat eos euellere. Quis enim dic michi duces exercitus decem milia ulcera habentem, et sanguine circum effusum uidens, et post multa trophea, et a prelio et ab expeditione reuertentem, non utique susciperet ianuas totius domus expandens?

Et quis nunc est talis ait? Propter hoc adiunxit in nomine discipuli et prophetae et iusti. Ut discas quoniam non dignitati aduenientis, sed et consilio hospitantis, mercedem ponit. Hic enim de prophetis et iustis et discipulis ait. Alio autem et ualde abiectos, suscipere iubet, et eos qui non suscipiunt, punit. In quantum enim non fecistis uni minimorum horum, neque michi fecistis. Et contrarium rursus in eisdem dicit. Etsi enim nichil fueris dirigens tale, homo est eundem tecum

Commented [ND20]: armari *add. super lin.*

Commented [ND21]: de patre *add. super lin.*

Commented [CN22]: de anima *add. super lin.*

Commented [ND23]: patribus *add. super lin.*

Commented [ND24]: uel patrem *add. super lin.*

Commented [ND25]: [fol.126vb]

Commented [ND26]: requiem *add. super lin.*

Commented [ND27]: hospitantium *add. super lin.*

Commented [ND28]: ut peram *add. super lin.*

Commented [ND29]: uel suscipere *add. super lin.*

Commented [ND30]: attrahere *add. super lin.*

Commented [ND31]: [fol.127ra]

Commented [ND32]: Morale xxxv. de helemosina, et compassione ad eos qui indigent. *notum in marg.*

Commented [ND33]: uel mente *add. super lin.*

Commented [ND34]: meritum *add. super lin.*

mundum habitans, eundem solem uidens, eandem habens animam, eundem dominatorem, eisdem tecum communicans misteriis, ad idem tecum uocatus caelum, habens **magnam iusticiam**, inopiam, et quod indiget, necessario cibo. Nunc autem qui quidem excitant te cum tibiis et fistulis in hiemis tempore, et inaniter, et uane molestant, xenia multa accipientes, a te recedunt, et qui hirundines circumferunt, et omnes accusant, mercedem talium prodigiorum accipiunt. Si autem accesserit inops, pane indigens, decem mille maledictiones et detractioes sunt, et desidiae accusationes et contumeliae et conuitia et increpationes, et non excogitas ad teipsum, quoniam et tu pigritaris, et tamen deus quae a seipso sunt tibi tribuit. Ne enim michi hoc dicas quoniam facis aliquid et ipse, sed illud michi ostende, si necessariorum aliquid facis et tractas. Si autem dixeris michi tabernas et pecuniarum acquisitiones, et eorum quae tibi sunt diligentiam et adiectionem, dicam utique tibi et ipse. Quoniam haec non utique sunt opera, sed helemosinae, et orationes, et iniuriam patientium defensiones, et quaecumque sunt talia, quorum in desidia uiuimus semper. Sed tamen nobis nunquam dixit deus, quia pigritaris non **accendam** tibi solem, quia **nichil** facis necessariorum, lunam extingam, constringam uentrem terre, prohibebo stagna, fontes, flumina, destruam aerem, continebo temporaneas pluuias. Sed omnia cum copiositate nobis prebet. Quibusdam autem non solum pigritantibus sed et pernitiosa operantibus, horum largitur usum. Cum igitur uideris inopem, et dixeris suffocor, quoniam iuuenis existens, ita et sanus nichil habens uult cibari, piger existens famulus, et suum dominum derelinquens, haec quae dixi dic ad teipsum. Magis autem illi da, ea ad te cum libera pro palatione dicere. Et iustius dicet, quoniam suffocor, quoniam sanus existens, pigritaris, et nichil agis eorum quae iniunxit deus. Sed refugiens a preceptis domini, circum quaque uadis ceu in aliena regione in malitia conuersans, inebrians, furans, rapiens, alienas euertens domos. Et tu quidem pro desidia incusas, ego autem pro operibus **pernitiosis**. Cum insidiaris, cum iuras, cum mentiris, cum decem milia talia facis. Haec dico non in legislationem deducens **pigritari**, absit, sed ualde uolens omnes in operibus esse. Omnem enim malitiam, edocuit pigritia. Rogo autem non in misericordes esse, neque crudeles, quia et paulus decem milia conquerens et dicens, si quis non uult operari, neque comedat, non stetit usque ad hoc, sed **apposuit**. Vos autem ne uituperetis bonum **facientes**. Et nimirum haec contraria sunt. Si enim iussit eos non comedere, qualiter nos ammonet dare? Vtique ait. Iussi eos non **cibari**. Et rursus dixi, ne inimicos **putetis**, sed ammonete, non contraria in legislationem deducens, sed ualde consonantia. Si enim et tu ad misericordiam paratus fueris, et ille inops uelociter, a desidia eruetur, et tu a crudelitate. Sed mentitur multa et fingit ait. Sed et hinc dignus misericordiam adipisci, quoniam in **talem** caecidit necessitatem, ut et in talibus inuerecundus efficiatur. Nos autem non solum non miseremur, sed et crudelia uia adicimus uerba, non accepisti semel et his dicentes? Quid igitur non indiget cibari rursus, quia semel cibatus est? Proper quid, non et tuo uentri has ponis leges? et dicis et ad ipsum impletus es heri, et ante heri, ne petas nunc? sed illum quidem et supra modum rescindis, hunc autem et moderata petentem auertis, debens propter hoc eius misereri, quoniam per unamquamque diem cogitur tibi adesse. Etsi enim nullatenus aliunde flexerit, propter hoc eius oportebat te misereri. Inopiae enim necessitas, in hoc cogit, et haec facit, et non misereris eius, quoniam talia audiens, non uerecundatur. Necessitas enim potentior est. Tu autem non solum non misereris, sed et diuulgas, et ideo iubente occulte dare, stas pro palans eum, qui accessit, et exprobrans pro **quibus** misereri oportebat. Si enim non uis dare quid incusas, et conteris calamitosam et miseram animam? Venit sicut ad portum tuas manus inquirens. Quid fluctus erigis, et difficiliorem hyemem operaris? quid condempnas sibi nobilitatis? Numquid enim si putasset talia auditorum esse, accessisset? Si autem et haec presciens accessisset, propter hoc dignum est et illius misereri, et tuam **timere** crudelitatem, quoniam neque ita, inuitabilem imminentem uidens necessitatem, mansuetior

Commented [ND35]: ut mendicet *add. super lin.*

Commented [ND36]: id est *add. super lin.*

Commented [ND37]: uel oriri faciam *add. super lin.*

Commented [ND38]: [fol.127rb]

Commented [ND39]: incuso te *add. super lin.*

Commented [ND40]: uel pigritiam *add. super lin.*

Commented [ND41]: uel adiecit *add. super lin.*

Commented [ND42]: pauperibus *add. super lin.*

Commented [ND43]: uel auerti *add. super lin.*

Commented [ND44]: quia non laborant *add. super lin.*

Commented [ND45]: [fol.127va]

Commented [ND46]: his in *add. super lin.*

Commented [ND47]: te *add. super lin.*

efficeris. Neque sufficere ei estimas ad excusationem inuerecundiae, famis timorem, sed inuerecundiam incusas? quamuis in maioribus ipse inuerecundus exstitisti, multotiens, et pro difficilibus rebus, hic enim et ueniam inuerecundia fert. Nos autem multotiens in **pena dignis** inuerecundamur. Et cum oporteret excogitantes illa, humiles fieri, et aggredimur miseros istos, et pharmaca petentibus uulnera ponimus. Si enim non uis dare quid et male facis, si non uis largiri, quare et conuitiaris? Sed **non** sustinet abscedere aliter. Quocirca sicut iussit sapiens ille, ita fac. Responde ei pacifica in mansuetudine. Neque enim uolens in tantum inuerecundatur. Neque enim est homo uolens simpliciter confundi, etsi decem milia quidam satagerent, non parerer ego persuaderi aliquando, quoniam homo in habundantia uiuens eligit mendicari. Nullus itaque nos **paralogizetur**. Sed etsi non **dicat** paulus, hoc id est si quis non uult operari neque comedat, ad **illos** dicit, **ad nos autem non dicit**, sed contrarium bonum facientes, ne uituperetis, ita et in **domo** faciamus nos. Cum duo aliqui pugnaverint ad inuicem, singulariter unumquemque accipientes, contraria ammonemus, hoc et deus fecit, et moyses ad deum enim dixit. Siquidem dimiseris eis peccatum, dimitte, quia **et medele**. Eis autem precepit occidere ad inuicem, et consanguineos uniuersos, quamuis haec contraria sunt. Sed tamen in unum utraque inspiciebant finem. Rursus deus moysi quidem iudeis audientibus dicebat, dimitte me et conteram populum hunc. Etsi enim non aderant haec deo dicente, sed erant ea audituri postea. Singulariter autem contraria his eum ammonet. Et haec moyses coactus, postea enarrauit dicens. Numquid ego in uentre eos accepi, quoniam dicis michi leua eos, sicut leuat nutrix lactentem in sinum suum? haec et in domibus fiunt, et multotiens pater pedagogum quidem **puerum** iniuriantem, singulariter increpat dicens. Ne sis asper, neque durus, iuueni autem contraria dicit. Etsi iniuste conuitium pateris, fer, a contrariis, unum aliquid coniungens, ita et paulus, sanis quidem et mendicantibus dixit. Si quis non uult operari, neque comedat, ut eos ad opus immittat. Misereri autem ualentibus, uos autem bonum facientes, ne uituperetis, ut eos ad helemosinam inducat. Ita et cum eos qui ex gentibus erant ammonerat in epistola ad romanos, non alta sapere aduersus iudeos. Et agrestem **oliuam** induxit in medium. Et alia quidem **his**, alia autem illis uidetur dicens. Ne igitur in crudelitatem incidamus, sed audiamus paulum dicentem bonum facientes, ne uituperetis. Audiamus et dominum dicentem, omni petenti te da, et efficiamini misericordes, sicut pater uester, quamuis multa dicens, nusquam hoc posuit, sed in misericordiis solum. Nichil enim nos equales deo facit, sicut benefacere. Sed nichil inuerecundius ait inope. Propter quid rogo, quoniam superincurrens acclamat. Vis igitur ostendam, quoniam illis nos sumus in uerecundiores, et ualde in reuerentiores? Recordare michi nunc in tempore ieiunii, quotiens mensa apposita in uespere, ministrantem famulum uocans, ut uacantius ambulet, omnia euertisti, calcitrans conuitians, iniurians protardatione solum parua, quamuis ualde sciens, quoniam etsi non confestim, parum postea potieris esca. Deinde te ipsum quidem pro nichilo inferitatem promotum, non uocas inuerecundum, inopem autem qui pro maioribus formidat et tremit, neque enim de **procrastinatione**, sed de fame omnis timor est ei, hunc et pertinacem, et inreuerentis et inuerecundum, et omnia dicis pessima? et qualiter non ultime hoc inuerecundiae? sed non excogitamus haec. Propter hoc illos honerosos esse estimamus. Quia si quae nostra sunt inuestigaremus, et compararemus his quae illorum sunt, non utique estimaremus eos esse honerosos. Ne utique fias amarus iudex. Etsi enim ab omnibus peccatis fueris erutus, neque ita tibi permisit dei lex, diligentem effici scrutatorem alienorum. Si enim phariseus propter hoc periit, quali potiemur excusatione nos, si his qui dixerunt, non permittit amare inuestigare quae aliorum sunt, multo magis his qui offenderunt. Ne igitur crudeles, neque in mansueti, neque immites, non inexpiabiles, non feris deteriores simus. Etenim multos ad hoc uidi **feritatis** uenientes, ut per desidiam paruum esurientes contempnant. Et hec dicentes uerba, non adest

Commented [ND48]: criminibus add. super lin.

Commented [ND49]: [fol.127vb]

Commented [ND50]: uel decipiat add. super lin.

Commented [ND51]: distinguat manifeste add. super lin.

Commented [ND52]: pauperes add. super lin.

Commented [ND53]: tamen add. super lin.

Commented [ND54]: hoc add. super lin.

Commented [ND55]: nostra add. super lin.

Commented [ND56]: alias add. super lin.

Commented [ND57]: filium add. super lin.

Commented [ND58]: uel oleastrum add. super lin.

Commented [ND59]: [fol.128ra]

Commented [ND60]: tarditate add. super lin.

Commented [ND61]: [fol.128rb]

famulus michi nunc a longe a domo sumus, eorum qui sunt ad mensam, nullus est michi cognitus, o de crudelitate, quod maius est, promisisti, et quod minus est, non explēs, ut tu uadas parum, ille fame corrumpitur, o de iniuria, o de typho. Si enim decem stadia ambulare oporteret, pigritari oportebat. Neque excogitas quoniam maior merces tibi ita fit? Cum enim das, pro eo quod datur, accipis mercedem solum. Cum autem et ipse uadis, et huius recondita est rursus retributio. Quia et patriarcham propter hoc ammīramur, quoniam ipse ad uaccas currebat, et uitulum rapiebat. Et hoc trecentos decem et octo uernas habens. Nunc autem tanto quidam timore repleti sunt, ut per pueros haec faciant, et non uerecundentur, sed per meipsum haec iubēs explere ait? et qualiter non uidebor uane gloriari? et nimirum et nunc propter aliam uanam gloriam haec facis. Verecundatus uideri, inopi loquens, sed nichil pro his cum diligentia inuestigo. Solum da, siue per teipsum, siue per alium hoc uis facere, et ne incuses, ne increpes, ne conuitieris. Farmacis enim non uulneribus indiget qui aduenit misericordia, non gladio. Dic enim michi si quis lapide percussus, et uulnus accipiens in capite, alios uniuersos dimittens, ad tua genua curreret, suffusus sanguine, numquid alio lapide percutiens adiungeres aliud uulnus? non ego estimo, sed et illud temptares utique corrigere. Quid igitur in pauperibus contraria facis? non nouisti quantum potest et restaurare et destruere sermo? Melius enim est ait sermo quam datio. Non reputas, quoniam aduersus teipsum gladium impellis, et difficillius uulnus accipis? cum conuitiatus fueris, ille cum silentio recedet, ingemiscens et multum lacrimans. Etenim a deo mittitur ad te. Excogita igitur iniurians eum ubi redundat iniuria. Cum ille quidem ad te mittat, et tibi dare precipiat. Tu autem non solum non das, sed et conuitiaris uenienti. Si autem ignoras superhabundantiam inconuenientiae in hominibus id intuere, et tunc nosces bene peccati magnitudinem. Si enim tuus famulus, a te iussus ad alium abire famulum, argentum habentem tuum et accipere non solum uacuis rediret manibus, sed et iniuriam passus, quid non utique operareris conuitiantis? quantum non utique uindictam expeteres quasi iam ipse existens, qui iniuriam passus est? Hoc et in deo puta. Etenim ipse mittit ad nos inopes, et quae illius sunt damus, si utique dederimus. Si autem cum non dando, et iniuriam passos emittimus, excogita quantis fulminibus dignam rem facimus. Haec igitur omnia excogitantes, et linguam refrenemus, et inhumanitatem proiciamus, et manum ad elemosinam extendamus, et non pecuniis solum, sed et uerbis, mitigemus eos qui indigent, ut et penam quae est a contumelia effugiamus, et regnum quod est a benedictione et elemosina hereditemus, gratia et filanthropia id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium in secula seculorum amen.

Commented [ND62]: id est timore *add. super lin.*

Commented [ND63]: faciebat *add. super lin.*

Commented [ND64]: uel melior *add. super lin.*

Commented [ND65]: [fol.128va]

Commented [ND66]: uel hereditate capiamus *add. super lin.*